

Hoc jus Canonicum doctrinali methodo concinnatum humillimè subjicio infallibili sanctæ Sedis Apostolicæ judicio et Sapientum correctioni, paratus emendare, quicquid perperam à me dictum fuerit: et cum hac protestatione exiguum laborem istum ad Deum, ut finem ultimum, Sanctorumque Cælitum honorem relatam volo.

SUMMARIA

CAPITULORUM IN DECRETALIUM QUARTO ET QUINTO

LIBRO CONTENTORUM,

UTILIBUS NOTIS INSPERSA.

Ex quibus non modo quam plurimum Decretalium conciliationes, sed etiam earumdem correctiones et respectivæ ampliaciones, tum a posterioribus Decretalibus, tum a sacro Concilio Tridentino et Apostolicis Constitutionibus factæ, sub signo innotescunt.

LIBER PRIMUS.

TIT. I.—DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

Cap. 1. *De Francia.*—Matrimonium consensu contrahitur, nec invalidatur, si consuetudo patriæ non servetur.— Vide correctionem Elencho II. n. 134. "

2. *Præterea.*—Sponsalia de futuro etiam jurata dissolvuntur, si sponsi se dissolvunt.

3. *Juveni.*—Si major septennio duxit in uxorem minorem septennio, et eam traduxit ad domum, oritur ex tali contractu publicæ honestatis justitia.

4. *Ad audientiam.*—Ex sponsalibus contractis cum consanguinea oritur publicæ honestatis justitia.— Vide moderationem Elencho II. n. 135. "

5. *De illis.*—Si sponsus de futuro ante copulam ad remota se transfert, sponsa liberè cum alio contrahit: si tamen per eam stetit, quominus matrimonium perficeretur, illi pœnitentia imponitur.

6. *De muliere.*—Non omnis violentia impedit contractum matrimonii.

1 Ex Conc. Tribur.
2 Al. III. Exon. Ep.
3 Eug. III. Presb. AEsculap.

4 Alex. III. Elect. Papien.
5 Idem Panor. Arch.
6 Idem Bhoar. Padoan. Ep.

7. *Ex litteris.*—Si aliqui apti ad matrimonium contrahunt per verba obscura, communem verborum intellectum sequi tenentur.

8. *Sponsam.*—Inter sponsam, et consanguineos sponsi oritur impedimentum publicæ honestatis impediens et dirimens matrimonium inter eos contrahendum.—Vide moderationem Elencho II. n. 136. "

9. *Ex parte.*—Si vir et mulier invicem promittunt, quòd ab eo tempore se pro conjugibus habebunt, contractum est matrimonium de præsentì.—Vide notata suprâ cap. de Francia I. "

10. *Ex litteris.*—Qui juravit cum aliqua contrahere, si non subest impedimentum, per censuram contrahere compellitur.—Nec obstat cap. *Requisivit* 17. infrâ hoc eod. tit., statuens resilientem à jurata promissione nubendi monendum potius, quàm cogendum; hic enim agitur de cogendo viro, ibi de cogenda fœmina, cum qua mitius procedendum est, nedum propter faciliorem censurarum contemptum difficilioremque coacti matrimonii exitum ob sexus imbecillitatem, sed etiam propter leve præjudicium, quod viro irrogaret resiliendo; qui ceteroquin repudiatus facilè alteri posset nubere; non sic fœmina ob periculum famæ, quod subiret, saltèm apud vulgares homines propter pravæ conversationis suspicionem cum eodem viro. Quibus rationibus innixa ita has duas decretales conciliavit Rota in Majoricen. Sponsal. 25 April. 1746, et 16 Jan. 1747, coràm Bussio: quidquid in contrarium senserit Glossa in cit. cap. *Requisivit*, et DD. communiter. Imò nec cogendus est vir aliqua probabili causa suffragante, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relatis in folio 28 Feb. 1733. in Gallipolitana Sponsal. Ceteroquin nulla suffragante causa, vir cogendus est per censuras, licèt sponsalia non fuerint jurata, ut ex veriori recepta opinione firmatur in eadem Majoricen. 25 Aprilis §. 9. "

11. *Non est.*—Per censuram Ecclesiasticam pater compellitur restituere filio ejus uxorem, quam injustè detinuit vel detinet.—Vide Elencho I. n. 54. "

12. *Præterea.*—Consanguineus viri opponens impedimentum ortum ex copula à se habita cum ipsius sponsa, non auditur, si sponsalia firmata fuerunt juramento; cùm in hoc casu attendi non debeat dictum unius aliunde non corroboratum ad impediendum matrimonium; secùs admittitur.

13. *Veniens.*—Si mulier invita cum aliquo contrahat, nec in eum postea consentiat, tenet matrimonium, si alteri postea nubunt.

14. *Cùm locum.*—Si timetur inferri violentia puellæ, de cujus matrimonio agitur, debet Judex illi providere locum tutum, donec causa terminetur.

15. *Veniens.*—Sponsalia de futuro, si sequuta est copula, non sol-

7 Idem Cantuar. Arch.	Angl., et Cismarii, Terram Reg
8 Idem Virgil. Ep.	Angl.
9 Idem Ab. S. Cadman, et de Remescia	12 Idem Ep. S. Agat.
10 Idem Pict. Ep.	13 Idem Procur. et Can. Soran.
11 Idem Archiep. Ep. et aliis per	14 Idem Papien. Episc.
	15 Idem.

vuntur per sponsalia de præsentì: aliàs tenent sponsalia de præsentì, nisi per metum, qui potuisset cadere in constantem virum, contracta sint.—Vide correctionem Elencho II. n. 137. "

16. *Commissum.*—Consultitur conscientie ejusdam, qui juraverat se intra biennium matrimonium contracturum, et postea Religionem ingredi desideraverat, ut scilicet, priùs juramentum servaret, et deinde ante copulam monasterium ingrederetur, si vellet, ne perjurii reatum incurreret, cùm sui tantum desiderio, non alia lege teneretur Religionem ingredi.

17. *Requisivit.*—Qui juravit cum aliqua contrahere, moneri potius debet, quàm compelli, ut contrahat.—In textu casus est de muliere, quæ juravit se matrimonium contracturam, non de viro.—Vide notata suprâ in cap. *Ex litteris* 10 pro conciliatione utriusque textus. "

18. *Cùm in Apostolica.*—Matrimonium secundum contractum, pendente lite de primo, est validum, si postea constet primum fuisse nullum.

19. *In præsentia.*—Uxor non certificata de morte viri, contrahere non potest, quamvis ignoret quid sit de marito, qui longo tempore abfuit.

20. *Inter opera.*—Contrahens matrimonium cum peccatrice volente se corrigere opus charitatis exercet.

21. *Ad id.*—Matrimonium per vim contractum cohabitatione spontanea convalescit.

22. *Sicut.*—Sponsalia de futuro, etiam jurata, solvuntur per secunda sponsalia de præsentì: non autem per secunda de futuro.

23. *Cùm apud.*—Mutus et surdus, et omnes, qui non prohibentur, matrimonium contrahere possunt.

24. *Dilectus.*—Furiosus matrimonium contrahere non potest.

25. *Tua fraternitati.*—Solo consensu legitimo contrahitur matrimonium, sed verba requiruntur quoad probationem vel alia signa æquipollentia.—Vide notata suprâ de Francia I. "

26. *Tua nos.*—Si alter contrahentium utitur verbis dubiis animo decipiendi mulierem, et eam postmodum cognoscit carnaliter, judicatur pro matrimonio in foro judiciali; secùs in pœnitentia.—Vide notata d. e. de Francia I. "

27. *Cùm in tua.*—Ad denunciationem unius honesti viri, qui defert consanguinitatem, et de fama vel scandalo docet, impeditur matrimonium contrahendum.

28. *Consultationi.*—Mulieri, quæ negat se in matrimonium consen-

46 Idem Exon. Ep.	23 Idem Arelat. Arch.
17 Luc. III. Ravell. Ep.	24 Idem Vercell.
18 Urb. III. Cenom. Ep.	25 Idem Brixien. Ep.
19 Clem. III. Caesar-Aug. Ep.	26 Idem Geben. Ep.
20 Innoc. III.	27 Idem Belvac. Ep.
21 Clem. III.	28 Honor. III. Selw. Ep.
22 Innoc. III. Ferrent. Ep.	

sisse, non creditur, marito probante contrarium; secus si probat se consensisse per metum, qui potest cadere in constantem virum.

29. *Gemma.*—In matrimoniis et sponsalibus debet esse libertas; unde in eis promissio pœnæ non obligat.— Vide Trid. sess. 24. c. 9. de ref. matr. "

30. *Is, qui.*—Sponsalia de futuro transeunt in matrimonium per carnalem copulam subsequutam, sed non per nisum ejusdem copulæ.— Vide correctionem Elencho II. n. 138. "

31. *Si inter.*—Sponsalia de præsentibus non solvuntur per sequens matrimonium, etiam consumatum, sed sponsalia de futuro etiam jurata solvuntur per sequentia de præsentibus.

32. *Adolescens.*—Nisus ad copulam non facit sponsalia de futuro transire in matrimonium.— Vide correctionem Elencho II. n. 139. "

IN SEXTO.

Cap. unic. *Ex sponsalibus.*—Sponsalia pura et certa ex consensu valida, licet alias nulla, inducunt publicam honestatem, quæ dirimit sequentia sponsalia, sed non præcedentia.— Vide Trid. sess. 24. c. 3. ref. matr. "—Publicam honestatem non inducunt sponsalia conditionalia ante conditionis eventum.— Vide correctionem Elencho II. n. 140 "

TIT. II.—DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

Cap. 1. *Tua nos.*—Pater pro filio impubere sponsalia contrahit; secus pro pubere, nisi consentiat.

2. *Ubi non.*—Impuberes ambo vel alter nisi pro bono pacis conjugii non debent.

3. *Puberes.*—Puberes sunt, quoad matrimonium, qui ex habitu corporis concipere et generare possunt.

4. *Litteras.*—Ex sponsalibus contractis cum minore septennio non oritur impedimentum publicæ honestatis; secus si cum majore vel minore consentiente post septennium; et affinitas sequens dissolvit sponsalia præcedentia de futuro.

5. *Accessit.*—Sponsalia nulla ex defectu consensus inita ante septennium non creant publicæ honestatis justitiam: secus verò si completo septennio sic desponsati consensum præstiterint, licet legitimo modo fuerint dissoluta.

6. *Continebatur.*—Si impubes desponsata et traducta petit licentiam pubes facta alteri nubendi, non auditur, si vir jurat, se eam cognovisse; nec auditur, si nondum pubes, sed proxima pubertati probetur

29 Greg. IX.

30 Idem Cenom. Ep.

31 Idem.

32 Idem.
S. U. Bonif. VIII.

1 Hormis. Eus. Ep.

2 Nicol. I.

3 Isidor. lib. 44. Etymol. cap. 2.

4 Alex. III. Herford. Ep.

5 Idem Eboracen. Arch.

6 Idem Novicen. Ep.

cognita. Et ex sponsalibus contractis cum impubere majore septennio oritur publica honestas.

7. *De illis.*—Si majores septennio contrahunt sponsalia, neuter ante pubertatem resilire potest. Et ille, qui primò fit pubes, alterum expectabit. Quòd si tempore contractus alter erat pubes, non ille, sed alter factus pubes, resilire potest.

8. *A nobis.*—Impuberes sponsalia contrahentes ante pubertatem separari non debent, sed post pubertatem possunt, si contradicunt sponsalibus, nisi copula carnalis intervenerit.

9. *De illis.*—Minores apti ad matrimonium ex contractu matrimonii obligantur, nisi violentia intercedat.

10. *Attestationes.*—Contractus ante pubertatem, etiam cum nisu carnalis copulæ, non facit matrimonium.

11. *Ex litteris.*—Si major invita contraxit sponsalia cum minore, non tenetur ipsum expectare, donec veniat ad ætatem adultam.

12. *Duo.*—Sponsalia contracta cum minore septennio per cohabitationem mutuam post septennium convalescunt, et inducunt publicæ honestatis justitiam: solvuntur tamen per matrimonium de præsentibus.

13. *Ad dissolvendum.*—Accusari non potest matrimonium, quod nullum est; ut si cum minore septennio sit contractum: denunciari tamen potest impedimentum, ne contrahatur in posterum.

14. *Tua.*—Si quis per verba de præsentibus contrahit cum impubere, in qua ætatem malitia non supplet, intelligitur non matrimonium, sed sponsalia contraxisse, etiam si subarrhatio intercesserit.

IN SEXTO.

Cap. unic. *Si infantes.*—Sponsalia amborum infantium vel alterius tantum, per supervenientem majorem ætatem non validantur, nec publicam honestatem inducunt, nisi fuerint ratificata tacite vel expresse.—Sponsalia per verba de præsentibus contracta inter impuberem et puberem, vel inter impuberes non proximos pubertati, valent ut sponsalia de futuro; nec in matrimonium transeunt ex sola perseverantia ætatis, nisi aliter approbentur; inducunt tamen publicam honestatem.—Sponsalia pro absentibus filiis non tenent, nisi ipsis præsentibus, vel nisi postea approbaverint tacite vel expresse.

TIT. III.—DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

Cap. 1. *Si quis.*—Pro clandestino matrimonio non præsumitur; sed illud alleganti incumbit onus probandi.— Vide correctionem Elencho II. n. 141. "

7 Idem Bathon. Ep.

8 Idem eidem.

9 Idem Janu. Ep.

10 Urban. III. Cenom. Ep.

11 Idem Pis. Ep.

12 Clem. III.

13 Idem Corr. et Petr. Filis Maleb.

14 Idem Ep. Albert.

S. U. Bonif. VIII.

1 Ex Conc. Arelat.

2. *Quod nobis.*—Qui matrimonium clandestinè contraxerunt, altero negante vel utroque, non apparente legitima exinde probatione, simul cohabitare non compelluntur: et si illud publicaverint, tanquam in conspectu Ecclesiæ factum comprobabitur, nisi rationabilis causa subsit, quæ impediatur.— Vide correctionem Elencho II. n. 142. "

3. *Cum inhibito.*—Cum matrimonia sunt contrahenda, debent per Presbyteros in Ecclesia edicta proponi, assignato termino, intra quem qui voluerit impedire, impedimentum opponat: et si probabilis conjectura fuerit de impedimento, interdicitur matrimonium, donec de hoc cognoscatur. Si in gradu prohibito matrimonium clandestinè vel contra interdictum, de quo supra, contractum fuerit, etiam per ignorantes de impedimento, nati ex illo matrimonio sunt illegitimi. Idem est, si ambo parentes sciunt impedimentum matrimonii, licet in conspectu Ecclesiæ contrahant. Parochus contemnens prohibere matrimonia interdicta, et quilibet Clericus etiam Regularis, qui interfuit, per triennium à beneficio suspenduntur; et etiam gravius puniuntur juxtà culpæ qualitatem. Præsumentes verò contra hoc cap. contrahere etiam in gradu licito, puniendi sunt, sicut et calumniosè denunciantes.— Vide ampliacionem Elencho III. n. 40 et 41. "

TIT. IV.—DE SPONSA DUORUM.

Cap. 1. *Duobus.*—Contrahens successivè per verba de præsenti cum duabus, tenetur adhærere primæ. Si autem primò contraxit per verba de futuro, secundò per verba de præsenti, adhærebit secundæ.

2. *Accepisti.*—Ponit pœnitentiam quadraginta dierum in pane et aqua illi, qui alterius sponsam de præsenti sibi accepit in uxorem; nec unquam in uxorem eam habere potest.

3. *Licet.*—Sponsalia de præsenti, non solvuntur per sequens matrimonium, etiam consummatum.

4. *Tua.*—Appellans in causa matrimonii interdicti debet, ne aliud contrahat, lite pendente; et si contraxerit, debet separari.

5. *Tuas.*—Desponsans duas per verba de præsenti, primam habet in uxorem, licet secundam priùs cognoverit; nec valet contraria consuetudo.

2 Alex. III. Belvac. Ep.

3 Innoc. III. in Conc. Later.

1 Aug. juxta 1. Collect.

2 Ex Pœnit. Rom.

3 Alex. III. Saler. Arch.

4 Idem Jan. Ep.

5 Idem Mutin. Ep.

TIT. V.—DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSAT. ET ALIIS CONTRACTIBUS.

Cap. 1. *Quicumque.*—Summa ut cap. *Si conditiones* infra.

2. *Cum sit.*—Servus manumissus ea conditione, ut fiat monachus et monasterio serviat, aliàs in servitutem redeat; si hoc acceptato monachus factus sit, manumittentis voluntatem cogitur observare.

3. *De illis.*—Qui juravit aliquam in uxorem accipere, si centum sibi donaverit, centum non datis, recipere non tenetur, nisi postea purè consenserit, vel eam cognoverit.

4. *Verum.*—Res donata Ecclesiæ sub modo, statim est Ecclesiæ, nec revocatur, modo non servato, nisi hoc in contractu sit expressum.

5. *Super.*—Contrahens matrimonium sub conditione non improbata à jure, non compellitur matrimonium consummare ante conditionis eventum.

6. *Per tuas.*—Qui sub honesta conditione sponsalia contrahit, et ante conditionis eventum desponsatam cognoscit, à conditione recedit.

7. *Si conditiones.*—Si contractui matrimonii apponitur conditio turpis vel impossibilis, habetur pro non adjecta, nisi sit contra substantiam matrimonii; quia tunc vitiat contractum.

TIT. VI.—QUI CLERICI VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT.

Cap. 1. *De Diacono.*—Diaconus vel Subdiaconus matrimonium contrahere non possunt; et si contraxerint, etiamsi sint facti irregulares, debent separari.

2. *Ex litterarum.*—Subdiaconus matrimonium contrahere non potest.

3. *Meminimus.*—Votum solemne impedit et dirimit matrimonium postea contractum: votum simplex tantum impedit contrahendum; sed non dirimit post contractum.

4. *Consuluit.*—Susceptio habitus professorum extra Religionem à non habente potestatem incorporandi Religioni, impedit in dubio ma-

1 Ex Conc. African.

2 Greg. Mag. Chrys. Ep. Spol.

3 Alex. III. Panorm. Arch.

4 Idem.

5 Urban. III.

6 Innoc. III. Messan. Ep.

7 Greg. IX.

1 Alex. III. Rhem. Arch. vel Cenom. Episc.

2 Idem Cenom. Ep.

3 Idem Wigor. Ep.

4 Idem Lucen. Ep.

trimonium contrahendum, sed non dirimit contractum.— Textus loquitur de quadam muliere, qua in susceptione habitus professorum extra monasterium præsimebatur elicuisse votum simplex; et ideo dicitur hujusmodi susceptionem impedire in dubio matrimonium contrahendum, cujus voti obligationem, ut naturalem, neque Trident. sess. 25. c. 15. de Regul. sustulit, neque decretum Clement. VIII. de non recipiendis ad habitum et professionem novitiis in conventibus non designatis sub pœna nullitatis. Et vide correctionem Elencho II. n. 143. "

5. *Veniens*.—Votum castitatis de præsenti impedit matrimonium contrahendum: Ecclesia tamen ex causa ab illo dispensat.

6. *Rursus*.—Votum simplex impedit sponsalia de futuro; non autem dirimit matrimonium sequens: secus in voto solemnium.

7. *Insinuante*.—Votum solemnium impedit et dirimit matrimonium post contractum.

TIT. VII.—DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

Cap. 1. *Propositum*.—Si quis vivente uxore, contrahit cum secunda hoc ignorante, prima mortua, ad sui petitionem non separabitur à secunda.

2. *Significavit*.—Si vivente prima uxore et non cognita, quis contraxit cum secunda scienter, et eam cognovit, etiam mortua prima, secundam habere non potest: secus si prima erat non legitima uxor.

3. *Super hoc*.—Non potest quis cum illa contrahere, quam, uxore vivente, cognovit, si machinata fuit in mortem uxoris.

4. *Ex litterarum*.—Qui vivente uxore, etiam ab eo separata quoad thorum, secundam consciam ducit uxorem, prima mortua, separabitur à secunda; sed cum alia contrahere poterit.

5. *Cum haberet*.—Qui vivente uxore legitima, cum secunda contrahit adultera, etiam prima mortua, separabitur à secunda; etiamsi longo tempore ei cohabitavit, et filios ex ea suscepit.

6. *Significasti*.—Si quis mortua uxore, contrahit cum ea, quam, vivente uxore, sine fidei donatione cognoverat, tenet matrimonium, dummodò in mortem defunctæ neuter fuerit machinatus.

7. *Veniens*.—Si quis vivente prima, secundam hujus rei insciam duxerit uxorem, mortua prima, licitè remanet cum secunda, novo consensu interveniente.

5 Idem.

6 Caelest. III.

7 Idem Ulyss. et Colimb. Ep.

1 Alex. III. Ab. S. Albani.

2 Idem Ab. de Fontib. et Mag. Vi-car.

3 Idem Bajon. Ep.

4 Clem. III.

5 Caelest. III.

6 Innoc. III. Capit. Spolet.

7 Idem Capit. Messan.

8. *Siquis*.—Contrahens cum secunda vivente prima, quam tamen non cognovit nec ante contractum, nec post, potest cum hac contrahere, mortua prima.

TIT. VIII.—DE CONJUGIO LEPROSORUM.

Cap. 1. *Pervenit*.—Lepra superveniens non dissolvit matrimonium, nec illius effectum: et ideo ad invicem maritali affectione conjuncti se tractare debent, aut ad perpetuam continentiam vovendam induci.

2. *Quoniam*.—Conjuges propter lepram separandi non sunt à conjugio: et leprosi contrahere possunt matrimonium et invicem sibi reddere debitum tenentur.— Cabasut. Jur. canon. Theor. lib. 3. c. 28. n. 10. refert. responsum 9 Stephani III. quo an. 754. prohibuit debitum reddi, jussitque conjuges separari: testaturque hoc Stephani decretum amplexatam fuisse Synodum Compendiesem cap. 16. "

3. *Litteras*.—Sponsalia de futuro præcisè non compellunt ad contrahendum matrimonium cum leproso, lepra post sponsalia superveniente.

TIT. IX.—DE CONJUGIO SERVORUM.

Cap. 1. *Dignum*.—Servus contradicente domino, matrimonium contrahere potest; sed non liberatur à servitiis eidem debitis.

2. *Proposuit*.—Separatur matrimonium, quando liber ignoranter cum ancilla contraxerit, nisi postea hoc sciens, illam congnovit.

3. *Licet*.—Si consuetudo est in loco, quod partus conditionem patris sequatur, natus ex libero et ancilla, liber est, et ut liber matrimonium contrahit.

4. *Ad nostram*.—Si liber contraxit cum ancilla ignoranter, et ex quo scivit, non consensit, separatur matrimonium et cum alia contrahere poterit.— Vide correctionem Elecho II n. 144. "

TIT. X.—DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

Cap. unic. *Indecens*.—Natus ex libera vel liberta, liber est.

TIT. XI.—DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Cap. 1. *Utrum*.—Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum est ad compaternitatem, licitè contrahunt, nisi consuetu-

8 Greg. IX. Fratr. Rom.

1 Alex. III. Cant. Arch.

2 Idem Bajon. Ep.

3 Urban. III. Flor. Ep.

1 Adr. IV. Salis. Arch.

2 Alex. III. Prior. et Praep. Mort.

3 Urb. III. Arim. Ep.

4 Idem Ep. Rasesbur.

U. Greg. Magn. Anchem. Subd.

1 Alex. III. Saler. Ep.

do repugnet: separantur autem, si per eorum alterum, vel utrumque compaternitas est contracta.— Vide correctionem Elencho II. n. 145. "

2. *Si vir.*—Compaternitas scienter vel ignoranter superveniens inter conjuges, conjugium non dissolvit.

3. *Super eo.*—Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum est ad compaternitatem, licite invicem contrahunt matrimonium: si tamen adsit consuetudo impediens et dirimens talia matrimonia, servanda est.— Vide correctionem Elencho II. n. 146. "

4. *Martinus.*—Inter patrem baptizati et uxorem levantis prius ab eo cognitam, contrahitur compaternitas efficax ad matrimonium dirimendum.— Vide correctionem Elencho II. n. 147. cum ibi notatis. "

5. *Contracto.*—Compaternitas per catechismum contracta impedit matrimonium contrahendum, sed contractum non dirimit.— Vide correctionem Elencho II. n. 148. "

6. *Veniens.*—Inter patrem baptizati, et levantem seu tenentem baptizatum contrahitur cognatio spiritualis valida ad impediendum et dirimendum matrimonium post contractum.— Vide Trid. sess. 24. cap. 2. de ref. matr. "

7. *Tua nos.*—Si filii duorum compatrum, per quorum alterum deventum est ad compaternitatem, matrimonium contrahant, separantur, et tempore contractus scientes impedimentum, illud denunciare tenentur.— Vide correctionem Elencho II. n. 149. "

8. *Ex litteris.*—Inter baptizatum et filium baptizantis oritur cognatio spiritualis impediens et dirimens matrimonium inter eos contrahendum.— Vide correctionem Elencho II. n. 150. "

IN SEXTO.—Ibi tit. III.

Cap. 1. *Nedum.*—Inter baptizatum et levantem filios, et uxorem levantis ante carnaliter cognitam et suscipientem, et patrem et matrem suscepti (et similiter de baptizante) spiritualis contrahitur cognatio.— Vide correctionem Elencho II. n. 151. — Confirmatio frontis inducit spiritualem cognationem, sicut baptismum.

2. *Per catechismum.*—Compaternitas per catechismum contracta impedit matrimonium, sed non dirimit.— Vide correctionem Elencho II. n. 152. "

3. *Quamvis.*—Unus tantum intervenire debet in levatione infantis de sacro fonte; vel chrismatione frontis: tamen si plures interveniunt, cognationem contrahunt spiritualem. Et ex aliis sacramentis cognatio non contrahitur.— Vide correctionem Elencho II. n. 153. "

- 2 Idem eidem.
3 Idem Vigor. Ep.
4 Clem. III.
5 Idem.
6 Innoc. III. N. Ep. Linc. et N. Decan. de Harendun.

- 7 Idem Mag. C. de Melun. Cap. Herf.
8 Greg. IX.
1 Bonif. VIII.
2 Idem.
3 Idem.

TIT. XII.—DE COGNATIONE LEGALI.

Cap. unic. *Si qua.*—Inter adoptatum et filiam adoptantis non potest, durante adoptione, consistere matrimonium.

TIT. XIII.—DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUAE, VEL SPONSAE.

Cap. 1. *Si quis.*—Affinitas superveniens matrimonio contracto illud non solvit; sed exactionem debiti impedit: et crimen incestus inhabilitat matrimonium contrahendum.— In textu statuitur incestuosum reddi inhabilem ad contrahendum matrimonium cum quacumque; sed vide Elencho I. n. 22. "

2. *Veniens.*—Affinitas superveniens etiam per illicitum coitum, dissolvit sponsalia de futuro, sed non matrimonium, et incestuosus contrahere non potest.— Vide correctionem Elencho I. n. 56. "

3. *De illo.*—Non separatur matrimonium ad dictum unius asserentis affinitatem inter conjuges præcessisse.

4. *Transmissæ.*—Incestuosus matrimonium contrahere non debet, sed si contrahit, tenet; et tunc tenetur reddere, sed non potest debitum exigere; tenetur autem uxori necessaria administrare.— Vide correctionem Elencho I. n. 57. "

5. *Super eo.*—Non separatur matrimonium ad confessionem conjugum, qui dicunt affinitatem præcessisse, etiamsi rumor viciniae consentiat.

6. *Discretionem.*—Summa ut cap. *Si quis* 1. supra.

7. *Fraternitati.*—Copula habita cum puella septenni dirimit matrimonium postea contractum cum consanguinea.

8. *Ex litteris.*—Affinitas orta ex copula illicita, rumpit sponsalia præcedentia, et privat facultate contrahendi matrimonium.

9. *Veniens.*—Idem dicit.

10. *Tuae Fraternalitatis.*—Summa ut cap. *Si quis* 1. supra.

11. *Jordanæ.*—Summa ut cap. *Si quis* 1. supra.

TIT. XIV.—DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE.

Cap. 1. *Ex litteris.*—Separatur matrimonium contractum inter

- | | |
|---|--------------------------|
| U. Nicol. 1. ad Consul. Bulgar. | 7 Idem Bisunt. Arch. |
| 1 Ex Conc. apud Wermeriam. | 8 Idem Ep. Gerund. |
| 2 Alex. III. Pict. Ep. | 9 Idem Ep. Magdeb. |
| 3 Idem. | 10 Idem Arch. Strig. |
| 4 Caelest. III. | 11 Greg. IX. Ep. Pict. |
| 5 Idem. | 1 Alex. III. Cassin. Ab. |
| 6 Innoc. III. Praepos. S. Mariae. Magd. | |